



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

VII. De adulteris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

R V B R I C A VII.

In paradiso voluptatis, vbi primum parentem creauerat , creator omnium gloriosus matrimonium hac lege instituit , vt sic vir per consensum legitimum feminæ iungeretur , quod duobus existentibus in carne vna , aliam personam quæ vnitatem diuideret , superaddere non liceret. Hanc vnitatem nohnnulli coniugati Dei timore postposito deturbantes , sicut equus & mulus quibus non est intellectus , concubinis se commiscere in suarum animarum damnationem publice non verentur. Contra quos præfatus Guillelmus episcopus Sabinensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, statuit & ordinavit , vt quicumque coniugatus concubinam publice detinere præsumeret , & insuper non coniugatus qui concubinam infidelem præsumeret detinere tam ipsi, quam ipsæ eo ipso sententiam excommunicationis incurrerent. Nos vero dictam constitutionem innouantes,tam prædictos quam coniugatos , qui cum adulteris publice commiscentur,& ipsos adulteros prædictæ excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Volentes insuper, quod, nisi adulteri & alii suprascripti præfactas concubinas , vel coniugatæ dictos adulteros per duos menses ante eorum vel earum obitum dimiserint,& se ab eisdem sine fraude separauerint, etiam si tempore obitus sui vel antea fuerint a dicta excommunicationis sententia absoluti , nihilo minus tam ipsi quam ipsæ careant ecclesiastica sepultura.

Datum Palentiæ sub sigillo nostro pendenti iv. Nonas Octobris, indictione ii. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Clementis diuina prouisio-

Y iij

dentia papæ VII. anno 10. & a natuitate Domini 1388.
Istæ constitutiones fuerunt publice denuntiatæ in ecclesia
fratrum Minorum Palentinorum die 4. mensis Octobris,
anno a natuitate Domini 1388. indictione II. pontificatus
sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Cle-
mentis diuina prouidentia papæ VII. anno decimo , præ-
sentibus rege , archiepiscopo Compostellano , Ouentensi,
Legionensi , Calagurritano , Palentino & Zamorensi epi-
scopis, & cleri & populi multitudine copiosa.

ANNO
CHRISTI
1388.

VITA
BONIFACII PAPÆ VIII.
VV L G O IX.

ANNO
CHRISTI
1389.

BONIFACIUS huius nominis iuxta vulgi opinionem
IX. Petrus antea vocatus , natione Neapolitanus , ex
illusterrima Tomacellorum familia oriundus , commu-
nibus omnium suffragiis anno ætatis suæ 45. vt probabi-
lius obseruauit Panuinius , quam Platina, ad pontificatum
ascitus est 1 v. Nonas Nouembbris , anno 1389. tempore
Vvenceslai imperatoris. Omnem populi Romani guber-
nandi rationem soli papæ reseruauit. Clemente antipa-
pa mortuo , cardinales schismatici Petrum quemdam de
Luna in eius locum suffecerunt , & Benedicti XIII: no-
men imposuerunt. Perusii inter nobiles & populum ma-
gna suborta est discordia , ad quam extinguedam pon-
tifex eo se contulit : sed vel parum vel nihil effecit. Nam
populus furore percitus , 80. plus minus nobiles crudeli-
ter occidit. Hac iniuria Bonifacius se læsum sentiens , Af-
fisium concessit , & per legatos Galeatio duci persuasit ,
vt Mantuam obsidione solueret. Iubilei anno appropin-
quante , Romani suis precibus apud pontificem instite-
runt, vt ad Vrbem reuerteretur. Quod vt facilius impetra-
rent, Banderesios destituerunt , eorumque loco Malate-
stam Pisauriensis domini filium senatorem delegerunt.
Ad Vrbem pontifex reuersus , arcem sancti Angeli muni-
uit, moeniaque & turres restituit , & sic paulatim domina-
tu Vrbis potitus est. Annus Iubilei 1400. cum incredibili